

asseritur, in sacris ordinatos votum habere continentiae, quod per se immediate obligat. Ergo... Minor est clara, nam de omnibus »tum religiosis, tum clericis jungit concilium «posseque om-
»nes... etiamsi *eam coegerint*, etc.»

107. 3.º Juxta certam AA. sententiam, peccata interna adversus castitatem a clericis majoribus admissa, sunt sacrilegia. Sed si sola lex immediate per se obligaret, peccata mere interna saltem probabiliter non essent sacrilegia. Ergo... *Min.* prob. Quia lex humana, etiam ecclesiastica, probabiliter saltem ad actus mere internos non se protendit. Ergo.

108. Dices: qui nescit votum et ordinatur, tenetur ad continentiam. Sed non ex voto, quod non emittit. Ergo solum ex lege.

Resp. Dist. *maj.* Qui nescit votum, eo quod invincibiliter et inculpabiliter ignorat obligationem continentiae, tenetur ad eam servandam; neg. *maj.* Qui nescit votum, sed scit obligationem continentiae vel culpabiliter eam ignorat, tenetur, etc.: conc. *maj.* In primo casu invincibiliter et inculpabiliter ignorans non teneretur ad castitatem nec ex lege, nec ex voto, quia Ecclesia non intendit talem astringere, nisi obligationem cognoscens ratum factum haberit. E contra culpabiliter ignorans non eximitur, quia debebat examinare quid contentum erat in illo officio, quod voluntarie assumebat. Ad *minorem* respondent aliqui nostrae sententiae AA., concedendo nescientem votum *per accidens* obligari ex sola lege; sed melius cum aliis disting. *minor.* Non ex voto, si inculpabiliter ignorat obligationem continentiae, neg. suppositum, quod tunc tenetur. Si eam non ignorat vel culpabiliter nescit, subdist. *min.* Non ex voto explicito; conc. Non ex voto implicito et virtuali; neg. Qui enim vere et efficaciter munus aliquod appetit, etiam implicito vult ea, quae illi muneri conjuncta sunt (1).

Instabis. Qui positive nollet elicere votum, non teneretur ad servandam continentiam, nec inhabilis esset ad matrimonium. Sed haec absurda sunt. Ergo.

Resp. Dist. *maj.* quoad 1.º Non teneretur *continuo* et mediate per legem, quae obligat ad emittendum votum quamprimum; neg. Immediate; conc. Quoad 2.º dist. etiam. Non esset inhabilis ex voto formali et emisso; conc. Ex voto praesumpto et debito; neg. Cum enim Ecclesia non judicet de occultis, et fraus nemini patrocinari debeat, ita constituit hoc impedimentum, ut essentialiter non pendeat a vero voto, sed sufficiat votum praesumptum et debitum juxta ordinationem ipsius Ecclesiae (2).

(1) Vid. Suar. de St. Relig. I. IX, c. 17, n. 6.—(2) Suar. ibid. n. 11.

DISQUISITIO VIII.

De sacramento Matrimonii.

PROOEMIUM.

Quam magna et excelsa res Matrimonium sit, non carnali sensu, sed fidei ac rationis puro lumine perpendi tantum potest; intelligere autem tum dabitur, cum sapientissimam Dei Providentiam sine velamine perspicere licebit. Paulus quidem supra coelos elatus, ut ea conspiceret, quae non licet homini loqui, edocuit, viri cum uxore conjugium mysterium quoddam magnum existere, ipsi unioni Christi cum Ecclesia comparandum. Tertullianus bona christiani conjugii mirans eloquebatur (1): «Unde sufficiam »ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia concii- »liat, et confirmat oblatio, et obsignatum Angeli renuntiant, et »Pater rato habet?... Quale jugum fidelium duorum unius spei, »unius voti, unius disciplinae, ejusdem servitutis? Ambo fratres, »ambo conservi, nulla spiritus, carnisve discretio. At quin vere »*duo in carne una*. Ubi caro una, unus et spiritus. Simul orant, si- »mul voluntant, et simul jejunia transigunt, alterutro docentes, »alterutro hortantes. In Ecclesia Dei pariter, in connubio Dei pari- »ter. In angustiis, in refrigeriis, neuter alterum celat, neuter alte- »rum vitat, neuter alteri gravis est. Libere aeger visitatur, indi- »gens sustentatur. Eleemosynae sine tormento, sacrificia sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento. Non furtiva signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio: sonant inter »duos Psalmi et hymni, et mutuo provocant quis melius Deo »suo cantet. Talia Christus videns et audiens gaudet. His pacem »suam mittit; ubi duo, ibi et ipse; ubi et ipse, ibi et malus non est. »Haec sunt, quae Apostoli vox illa sub brevitate intelligenda no- »bis reliquit.»

PARTITIO GENERALIS.

- CAPUT I. De institutione et actu Matrimonii.
- » II. De essentia Matrimonii.
 - » III. De proprietatibus quae Matrimonium consequuntur.
 - » IV. De consensu ad Matrimonium requisito et de ejus promissione seu de Sponsalibus.

(1) L. 2, *ad uxor.* c. 9.